65. *Phoma macrothecium* Thm. nov. spec.

Ph. peritheciis amphigenis, sed praecipue epiphyllis, exsertis tuberculaeformibus, orbicularibus, epidermide expallescentia tectis, postremo liberis, atris; sporis numerosissimis, longo-ovoideis, utrinque minime acutatis, non septatis, binucleatis, interdum concatenatis, 10—12 mm. long., 3,5—4 mm. crass., hyalinis. — Ad folia viva *Vieusseuxiae grandiflorae* Eckl. (*Moraeae grandiflorae* Thnbg.) in summo montis „Boschberg" pr. Somerset-East, Promont: bonae spei. 1876. Leg. P. Mac Owan. (no. 1240.)

66. *Depazea Buddleiae* Thm. nov. spec.

D. peritheciis sparsis, erumpentibus in foliorum pagiuae superioris macula rufo-brunnea, distincta, minutis, atris; sporidiis fusiformibus, curvatis, uni-sed pro maxima parte non septatis, 20 mm. long., 6 mm. crass., hyalinis. — In foliis vivis *Buddleiae auriculatae* Bnth. in dumetis montis „Boschberg" prope Somerset-East, Promont: bonae spei, in consortione *Meliolae quinquesporae* Thm. Aut. 1876. Leg. P. Mac Owan. (no. 1251.)

---

## Addenda nova ad Lichenographiam europaeam.

Continuatio sexta et vicesima.. — Exponit W. Nylander.

### 1. *Collemopsis assimulans* Nyl.

Thallus fuligineus scabridulo-opacus vel rugulosus, tenuis, areolato-rimosus; apothecia concoloria, demum lecanoroidea (latit. 0,2—0,3 millim. vel minora) et tenuiter thallino-marginatula; sporae 8nae ellipsoideae, longit. 0,009—0,012 millim., crassit. 0,007—9 millim., paraphyses vix ullae. Jodo gelatina hymenialis dilute coerulescens, dein thecae lutescentes.

Supra saxa riparia in Finlandia, Korpilahti (Norrlin.).

Facie est simul obviae *Pyrenopseos concordatulae* Nyl. in Flora 1875, p. 440, at thalli cellulae non rubricosae, sed superiores fuscescentes vel fusco-virescentes. Affinis vero est *Collemopsis Schaereri*, quae apothecia habet majora, cellulas thalli dilutiores et magis virescentes, minores etc. Epithecium lutescens.

### 2. *Cladonia frondescens* Nyl.

Subsimilis *Cladoniae cornucopioidi*, sed thallo foliolifero, foliolis flabellato-pinnatifidis (basi stipitata firma, laciniis ambitu

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03643-0573-6

subcrenulato), scyphis parum evolutis. Sporae fusiformi-oblongae, longit. 0,006—0,010 millim., crassit. 0,003 millim.

In Finlandia, Hollola, super saxa muscosa (Lang).

Distinguenda podetiis stenophyllo-folioliferis. [1]) Podetia altit. 3 centimetr. vel minora, saltem semel prolifera; foliola subtus subnervosa (longit. 6 millim. vel minora.).

### 3. *Physcia tribaciza* Nyl.

Est quasi *Ph. tribacia* (Ach.) minor, thallo subcaesio-albido, laciniis magis incisis, marginibus saepius sorediosis. Sterilis.

Supra saxa praerupta ad Helsingfors (Norrlin).

Facile sit subspecies *Physciae stellaris*, quacum reactione K + convenit. A. *Ph. tenella* Scop. saxicola distat laciniis non fornicatis et fibrillis obsoletis vel vix ullis.

### 4. *Parmelia subsoredians* Nyl.

Similis *Parmeliae sorediantí* Nyl. in Flora 1872, p. 426, sed medulla K— absolute differt nec verisimiliter desunt aliae differentiae, at specimen modo sterile visum.

In Gallia, Mont-Dore, super corticem *Sorbi Ariae* (legit. E. Lamy).

### 5. *Lecanora subluta* Nyl.

Vix nisi varietas est *Lecanorae galactinae* Ach., thallo effuso albido, minute granulato; apotheciis testaceo-pallidis confertis; sporae longit. 0,010—12 millim., crassit. 0,005—6 millim. Jodo gelatina hymenialis coerulescens, deinde thecae violaceo-fulvescentes.

Supra saxa sicca in Hibernia ad Kylemore (Larbalestier).

Variat thallo minus effuso et quoque (f. *perspersa*) apotheciis sparsis (analoga *dispersae* Pers.).

### 6. *Lecanora spodomela* Nyl

Thallus cinereo-fuscus tenuis opacus subleprosus, passim rimoso-diffractus; apothecia nigricantia (latit. 0,4—0,5 millim.), margine thallino subintegro cincta; sporae 8nae incolores ellipsoideae, saepius 1-septatae, longit. 0,011—16 millim., crassit. 0006—7 mil-

1) Analogia sub hoc respectu adest cum *Cladonia corallifera* Kunz., quale datum in collectione Amaz. Spruce no. 31.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03643-0574-2

lim., paraphyses graciles, epithecium coerulescens. Jodo gelatina hymenialis coerulescens, dein violaceo-tincta.

Supra saxa arenacea prope Kylemore, Delphi etc. in Hibernia occidentail (Larbalestier).

Species peculiaris e stirpe *Lecanorae dispartae*, ni fallor, facie autem *L. sophodis*.

### 7. *Lecidea arridens* Nyl.

Thallus albus vel albidus, tenuissimus, planus, rimosus, dispersulus; apothecia laete carneo-rosea, planiuscula, immarginata (latit. circiter 0,5 millim.), irregularia, margine spurio irregulari albo epithallino saepius munita, intus disco concoloria; sporae 8nae ellipsoideae simplices, longit. 0,014—18 millim., crassit. 0,007—0,010 millim., paraphyses sat graciles non confertae, perithecium cum epithecio et hypothecio incolor. Jodo gelatina hymenialis vinose fulvo-rubescens.

Supra saxa decomposita prope Lenane in Hibernia occidentali (Larbalestier).

Species est concinna e stirpe *Lecideae coarctatae*. Thallus nec K nec CaCl reagens.

### 8. *Lecidea paucula* Nyl.

Thallus virescens tenuissimus laevis continuus; apothecia livido-fusca minuta convexa immarginata (latit. 0,25 millim. vel minora), intus sub hymenio infuscata; sporae 8nae ellipsoideae simplices, longit. 0,006—7 millim., crassit. circiter 0,003 millim., paraphyses non discretae, epithecium incolor, hypothecium totum fuscum. Jodo gelatina hymenialis vinose fulvescens.

Supra saxa schistosa in montibus Hiberniae occidentalis ad Kylemore (Larbalestier).

Ad stirpem pertinet *Lecideae botryoidis*, notis aliatis bene distincta.

### 9. *Lecidea thiopsora* Nyl.

Thallus sulphureo-albidus granulato-conglomeratus, e granulis constans subpulvinato-concrescentibus (pulvinulis planiusculis latit. 1—3 millim. vel varie confluentibus), K flavo-reagens; apothecia nigra convexa (latit. fere 1 millim. vel minora), saepe 2—4 connata, intus concoloria; sporae 8nae bacillares vel subacicularres,

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03643-0575-8

longit. 0,022—30 millim., crassit. 0,0025—0,0035 millim., paraphyses graciles non bene discretae, hypothecium fuscum. Jodo gelatina hymenialis vix tincta, thecae (praesertim apice) coerulescentes.

Supra Jungermannias montium ad Kylemore in Hibernia (Larbalestier).

Species facile e stirpe propria. Gonidia diam. 0,004—6 millim. Sporae rectae vel rectiusculae, tenuiter 3-septatae. Spermogonia nondum visa.

### 10. *Lecidea supernula* Nyl.

Apothecia nigra plana marginatula vel demum convexa immarginata (latit. 0,4 millim. vel minora), intus concoloria; sporae 8nae incolores oblongo-oviformes, 1-septatae, longit. 0,009—0,014 millim., crassit. 0,004—5 millim., paraphyses mediocres vel fere crassiusculae, apice clavato coerulescenti-nigricante, hypothecium (cum perithecio) coerulescenti-nigricans supra rubricoso-rufescens. Jodo gelatina hymenialis vinose rubens.

Parasita supra *Lecanoram calcaream* (*Hoffmanni* Ach.) in insula Lismore Scotiae borealis (Crombie).

Species sine dubio affinis *Lecideae arthonizae*. Apothecia 3—6 vulgo aggregata crescunt.

### 11. *Lecidea alumnula* Nyl.

Thallus albus tenuis, maculatim vel insulatim crescens, insulis sublobatulis (latit. 1—3 millimetrorum); apothecia nigra subinnata (latit. 0,2—0,3 millim.), plana, marginata et saepe centro umbonata, intus concoloria; sporae 8nae incolores ellipsoideae simplices, longit. 0,009—0,012 millim., crassit. 0,005—6 millim., paraphyses non discretae, epithecium et hypothecium cum perithecio fusco-nigricantia. Jodo gelatina hymenialis coerulescens, dein thecae subvinose tinctae.

Super thallum *Lecideae contiguae* saxicolae (optime vegetae et spermogoniis fetis munitae), in rivulo prope Letterfrack in Hibernia occidentali (Larbalestier).

Pertinet ad stirpem *Lecideae contiguae*. Thallus K non reagens. Omnino analoga est *L. umbonellae* Nyl. in Flora 1866, p. 372, quae tangit *Lecideam lacteam* Flk.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03643-0576-4

12. *Lecidea perluta* Nyl.

Thallus albido-glaucescens vel passim ochraceo-glaucescens, tenuis, continuus, rimosus; apothecia ferrugineo-rufescentia vel ferrugineo-fuscescentia, plana, marginata (latit. circiter 1 millim.), margine saepius dilutiore, intus subconcoloria, sporae 8nae incolores ellipsoideo-oblongae murali-divisae, longit. 0,030—0,042 millim., crassit. 0,013—16 millim., paraphyses gracilescentes sat regulares, (in lamina tenui) epithecium et perithecium luteo-rufescentia, hypothecium (saltem centro) obscurius nonnihil rufescens. Jodo gelatina hymenialis coerulescens, dein thecae obscure vinose fulvescentes.

Supra saxa quartzosa in Erriff River Hiberniae occidentalis (Larbalestier).

Fere est *L. ochrotropa* Nyl. in Flora 1875, p. 445, aquatilis, praecipue differens thallo continuo et apotheciis magis biatorinis. Hic Lichen etiam demonstrat, quomodo fallax est distinctio inter *Biatoras* et *Lecideas*, nam sistit *L. perluta* omnino Biatoram, tamen nexu affinitatis locum systematicum habet prope *Lecideam excentricam*.

13. *Graphis ramificans* Nyl.

Similis fere *Graphidi striatulae*, sed apotheciis dendroideo-ramosis. Sporae (demum dilute nigrescentes) 10—12-loculares, longit. 0,032—45 millim., crassit. 0,008—0,010 millim.

Supra corticem Ilicis in Hibernia occidentali (Larbalestier).

Thallus macula albida subrugulosa indicatus (K flavescens, dein aurantiaco-tinctus). Apothecia atra nuda striatula, parum prominula (latit. circiter 0,25 millim.). In *Graphide dendroide* Leight. comparanda (Spruce coll. Amaz. no. 285) apothecia hypothecio nigro et sporae incolores 12—14-loculares (longit. 0,048—62 millim., crassit. 0,010—11 millim.).

14. *Arthonia dispuncta* Nyl.

Thallus cinerascens vel cinereo-virescens, tenuis, rugulosoinaequalis, late effusus et saepe tenuissimus; apothecia nigricantia vel fusconigra, rotundata (latit. 0,21—0,4 millim.), depressiuscula, adnata, intus obscura, sporae 8nae oblongoviformes 1-septatae, longit. 0,010—15 millim., crassit. 0,003—4 millim. Jodo gelatina hymenialis vinoso purpurascens.

Late distributa videtur in Europa. Sorbicola in Finlandia; acericola in Hungaria (infra alpem Retyezat legit Lojka et distribuit no. 2224).

Ante cum *A. patellulata* fuit commixta quacum variis notis convenit, sed differt thallo alio et sporis minoribus. Gonidia globulosa, diam. 0,007—0,016 millim. Pertineat ad stirpem *A. spadiceae*. *A. mediella* parum, nisi sporis, distat.

15. *Arthonia hypobela* Nyl.

Thallus macula albida obsoleta vaga indeterminataque indicatus; apothecia nigra minuta rotundata vel oblongiuscula (latit. 0,2 millim. vel minore), parum prominula; sporae 8nae incolores oblongae 3—5-septatae et infra tenuiores demumque in apicem acicularem acuminatae, longit. 0,030—38 millim. (cum mucrone), crassit. 0,005 millim. Jodo gelatina hymenialis coerulescens, dein vinose fulvescens.

Supra corticem *Pini sylvestris* ad Brionne in Gallia occidentali (Malbranche).

Species omnino distincta recedensque, sporis infra aciculari-acuminatis vel mucronatis. Gonidia globulosa. In genere prope *Arthoniam mediellam* [1]) est disponenda.

16. *Endocarpon leptophyllodes* Nyl.

Analogum est *E. fluviatilis* sicut *E. leptophyllum* est *E. miniati*, thallo cinerascente deminuto, fere adnato, subeffuso (non vero difracto, ut in *E. trachytico* Hazsl.), subtus fusco. Sporae ong. 0,015—18 millim., crassit. 0,006—7 millim.

Super saxa rivulorum in Haute Vienne (Ripart et Lamy).

17. *Verrucaria dissepta* Nyl.

Thallus (an proprius?) cinereo-albidus (passim leviter ochraceo-tinctus), rimoso-areolatus, tenuis; apothecia pyrenio integre nigro innato (latit. 0,2 millim.), supra convexule prominula; sporae 8nae fuscae ellipsoideae 3-septatae, longit. 0,018—23 millim., crassit. 0,007—0,010 millim., paraphyses mediocres. Jodo gelatina hymenialis non tincta.

1) Errore ea disjecta fuit inter Lecideas.

Universitätsbibliothek Regensburg
urn:nbn:de:bvb:355-ubr03643-0578-5

Super saxa micaceo-schistosa in Hibernia occidentali (Larbalestier).

Species sit e stirpe *Verrucariae thelenae* vel affinis. Thallus forsan *Lecideae*.

18. *Verrucaria fagicella* Nyl.

Forsan varietas *Verrucariae epidermidis*, sed apothecia minora subaggregata et sporae nonnihil majores (longit. 0,017—22 millim., crassit. 0,007—8 millim.).

In Gallia supra truncos fagorum prope Limoges (Lamy).

---

## Observationes.

*Lecanora luridatula* Nyl. in Flora 1875, p. 298, varietas (vel subspecies) est *Lecanorae Hageni* Nyl. in Flora 1872, p. 250. *L. Zosterae* (Ach.) accedere videtur, sed iodo gelatina hymenialis ejus persistenter coerulescens (contra in *L. luridatula* e coerulescente vinose rubescens); sed etiam *L. Hageni* zostericola lecta in Jersey a cl. Larbalestier. — Zw. Exs. 64 comparari possit, at revera est *subluxurians* f. *L. subintricatae*. Comparabilis quoque *L. persimilis* Th. Fr. pertinet ad *L. Sambuci* (Pers.), sporis 8—16nis mox agnoscenda.

Dicatur *sincerior* subspecies vel varietas *Lecanorae erysibes* thallo cinerascenti-pallido vel subochraceo-albido, subgranulato, areolato-rimoso, apotheciis pallido-fuscescentibus lecanorinis. Ad mare in Guernsey et in Hibernia (Larbalestier), in Pyrenaeis orientalibus (ipse).

Dicatur *curvabilis* Lecanora omnino similis *L. subdepressae*, sed spermatiis leviter curvulis (longit. 0,008—0,011 millim., crassit. 0,0007 millim.). Sporae longit. 0,017—23 millim., crassit. 0,011—12 millim. Legit eam saxicolam prope Helsingfors E. Lang.

Ut suspicatus sum, *Pertusaria violaria* Nyl. in Flora 1875, p. 299, est *Urceolaria*, apotheciis et spermogoniis deinde lecta a cl. Lamy.

*Lecidea tenuicula* Nyl. in Flora 1873, p. 293, est solum forma betulicola *L. obscurellae (heterellae)*.

Nomen *Lecidea meiocarpa*, quod jam 1863 et postea dedi in herbariis plurimis, recipienda sit pro „*L. minuta*“ nomine nimis commixto dato in *L. Lapp. or.* p. 145. — *L. alboflavicans* Nyl.

Universitätsbibliothek Regensburg urn:nbn:de:bvb:355-ubr03643-0579-4

# ZOBODAT - www.zobodat.at

Zoologisch-Botanische Datenbank/Zoological-Botanical Database

Digitale Literatur/Digital Literature

Zeitschrift/Journal: Flora oder Allgemeine Botanische Zeitung

Jahr/Year: 1876

Band/Volume: 59

Autor(en)/Author(s): Nylander William

Artikel/Article: Addenda nova ad Lichenographiam europaeam 571-577